

Q. K. 367, 19.

(x1882545)



Q. D. B. V.

Dissertatio Historico-Moralis

De

MANLII TORQVATI
FACTO,

Qvò Filium contra Imperium in
hostem pugnans, quamvis victorem,
necavit,

Quam

Superiorum Permissu

Placida Eruditorum Disquisitioni subjiciunt

PRÆSES

M. FRIDER. ERNESTUS Meis/

Marisfeldiò-Francus,

&

Respondens

Johann Christian Köhler/Misn.

vii . SS. Theol. Studiosi.

Ad D. X Maji, Annò M DC LXXXIV.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ

Literis JOHANNIS GEORGI.

Q. D. R. N.

Dictionario Historico-Morali

De

MANUEL TORO VATA

FACIT

QVO ETIAM CONTINENTUR



30000

VII

1777

1777





Prooemium.

JUs, gerendis in bellis, quin exerceatur in milites rigidissimum, latere puto neminem. Id enim quotidiana nos edocet experientia, atque exempla olim in hujus Juris transgressores perquam severè statuta. Quis non perspectum habet atque cognitum, hisce vel maximè temporibus, quibus cruentum undique ferveret bellum, quò, levisimam ob causam, poenam non rarò experiatur miles gravissimam. Stefimbrotum Filium, licet victorem, quia se invito pugnarat, olim interimi jussit Epaminondas. Ignominia Comes Egmondanus notatus fuit non minima, quod temerè, & non sine universæ Flandriæ periculo, pugnasset cum Gallis, quamvis, iis profligatis, victor rediisset. Eundem in militia apud Romanos rigorem, à quibus, sentiente Lipsio, omnis militaris ad nos pervenit disciplina, fuisse observatum, testem idem Lipsius adducit Polybium *de re milit.*: Equidem de Romanis gloriatur Lipsius, nulli gentium mitiores unquam placuisse Leges, nihilominus, summam ipsos & in militia adhibuisse severitatem, omninò confirmat; ita ut ne Patres, Filiis Leges militares transredientibus, parcerent, sed potius debitis illos afficerent poenis. Exemplo nobis est *T. Manlius Torquatus Consul*, qui Filium contra imperium pugnantem, quamvis victorem, occidi jussit. In cujus facti justitiam inquirere, nobiscum jam constituimus; at, ut divinum huic instituto adsit Numen, devotis precamur precibus!

CAP. I.

Factum recensens atque per Circumstantias describens.

§. I.

Hujus rationem explicat scriptor ille Celeberrimus Florus *L. i. c. 14.*:
Conversus à Gallis in Latinos, Manliò Torquatò, Deciò Mure Consulibus, semper quidem emulatione imperii infestos, tum verò contem-

tu urbis accensa; Cum jus Civitatis, partem imperii ac Magistratum posce-
rent, atque jam amplius quam congregari auderent: quò tempore quis cessisse
hostem mirabitur? Cum alter Consulum Filium suum, quia contra imperium
pugnaverat, quamvis victorem, occiderit, quasi plus in imperio esset, quam in
victoria: alter, quasi monitu Deorum, capite velato primam ante aciem Diis
manibus se devoverit: ut in confertissima se hostium tela jaculatus, novum ad
victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.

§. 2. Enimverò omnium primùm cum Dionysio Halic: L. 8. exi-
stimamus, hanc iræ paternæ in fontem Filium asperitatem & inclemen-
tiam, præsertim apud ejus Seculi Romanos, opinionem hanc minimè con-
vellere, ejusq; facti fidem reddere dubiam; nam & antea Brutus, urbis libe-
rator, in ambos Filios animadvertit, ac, ut maleficos, securi jus sit percuti.

§. 3. Neq; etiam illud nobis erat prætermittendum, quòd Livius,
L. 4. c. 29. ejusmodi factum soli tribuat Manlio, putetq; Posthumio Tuber-
to Dictatori minimè esse adscribendum, quã in sententia tamen est Diod:
Sic: 12. 64. Gellius L. 17. c. 21. inqviens: *olim Posthumius Tubertus Dictator
Romæ fuit, qui, bello Fidenati Annò U. C. CCCXII. Filium suum, quòd contra
suum dictum in hostem pugnaverat, securi necavit; & L. 1. c. 13. mentionem
facit posthumianorum imperiorum, de quo etiam refert Valer: M. L. 2. c. 7.*

§. 4. Pro negativa autem sententia Livius l. c. hanc adducit ratio-
nem; quia imperia Manliana, non post humana fuere appellata, atq; in
proverbium abierunt, ita, ut si quis nimia uteretur severitate, diceretur: eni-
manlianum imperium. Vid. Oliverius Arzignan. & Jodocus Badius
Ascensius in Valer. M. l. c. & Wilhel. Godelevæus in Liv. l. c. Si enim duo
fuissent, qui in Filios injussu Imperatoris in bello aliquid conatos animad-
vertissent, occasionem proverbio daturum potius fuisse Posthumium, ut
qui prior fuerit. Accedit, quòd, Livio eodem loco notante, ob hoc ipsum
factum Manlio Imperiosi cognomen fuisset inditum, de quo cognomine
vid. Plin. L. 22. c. 5. Frontinus l. 4. Strateg. c. 1. Equidem Antonius Thyfi in
notis ad Gellii l. 9. c. 13. hos falsi autores, atq; hoc cognomen Imperiosi
L. Manlium Patrem ab ostentatione sævitæ in delectu accepisse, putat, uti
testantur Livius l. 7. c. 4. & Seneca l. 3. de Benef. c. 37. Sed non impedit, quò
minus cognomen hoc & Tito Manlio ob illud suum factum, adeoq; duobus,
attribui potuerit; diversa tamen ex ratione, quod apud Livium videre li-
cet, præsertim, quia nominum confusio inde minimè futura, distingue-
banturq; à se invicem, tum prænomine, tum aliò cognomine.

§. 5. Prætereà factum hoc, præter jam citatos Autores, Manlio Torquato adscribunt Sallustius in *Catil* 52. 27. (ubi tamen pro Tito Aulum Manlium falsò ponit, quapropter Gruterus, Glareanus & Manutius in *Sallust. l. c.* vel memoriâ huncce historicum lapsum, vel non rectè lectum fuisse, autumant, quæcûq; falsitas ex aliis jam memorandis patet) Dionys. Halicarn. *L. 8.* Gellius *L. 9. c. 13.* Porcius Latron. *declam. in Catil.* Polyb. *L. 2.* Plutarchus in *Fab. Max. c. 7.* Joh. Zonaras, *Tom. 2. Annal. Cic. L. 3. de off.* Ælianus *hist. anim. L. 12. c. 33. § 3.* quò in locò Capitolinum falsò nominat, sic inqviens; ἔτος (Capitolinus) τοι καὶ τὸν ἕν ἀρξεύσαντα μὲν ἀνέδησε σεφάινω, ὅτι δὲ ἐκ τῆ αὐτῆ μετῆλθε τάξεως ἀπέπλεινεν.

§. 6. Autor igitur est Titus Manlius Torquatus, Lucii Manlii Imperiosi, teste Liv. *l. 7. c. 4.*, Filius, eòd. *L. 7. c. 5. & 10.* Torquatus inde dictus, quia cum Gallo pugnans ipsumq; vincens, aureum torquem, quod gestamen olim proprium & patrium Gallorum erat. Lipsius *L. 5. de milit. Rom. c. 17.* Thuanus *Part. 1. L. 12.* Ammianus Marcell. *l. 24. polyb. l. 2.* distinguebaturq; à Phalera, quæ demissa ad pectus pendebat; Torques verò stringebat magis & ambibat ipsum collum. Lipsius *l. c.* Tacitus *l. 1. Annal.* Plinius *l. 33. c. 1.* Gallo detraxit, à quo Torque detracto colloq; suo imposito, in perpetuum torqvati sibi & posteris cognomen accepit, præter Liv. *l. 7. c. 10.* vid. Eutrop. *l. 2. c. 2. § 3.* Gell. *l. 9. c. 13.* Tum Consul tertium creatus à M. Fabio Interrege atque in expeditione adversus Latinos. Liv. *l. 8. c. 6.*

§. 7. Consistitque factum in eo, quòd suum Manlius Torquatus occidi jusserit contra imperium & sine imperio pugnantem Filium; ad quam pugnam tamen ferocem animum juvenis movebat sive ira, sive pudor detrectandi certaminis, sive inexsuperabilis vis fati, uti loquitur Livius *l. 8. c. 7.* Florus *l. c.* Erat juvenis bellò jamjam strenuus; latini enim Exercitûs vicerat partem, atque in ipso conflictu perquam fortiter sese gesserat, uti ex jam *ll. cc.* videre licet, de cujus fortitudine vid. Plut. in *vita Fab. Max.* Frontinus *l. 4. c. 1.* Sabellicus *l. 3. c. 3.* Hujus etiam mortem juvenus deplorabat militaris, factumque hoc indignissimè ferebat, neque execrationibus in Imperatorem pepercit, ideò, ut post victoriam illi in urbem redeunti, nemo ex junioribus occurrere voluerit, memorante Liv. *l. 8. c. 12* quæ de re Valer. *M. l. 9. c. 3.* ita scribit: *Manlio Torqvato amplissimam & gloriosissimam ex Latinis & Campanis victoriam in urbem referenti, cum seniores omnes letitiâ ovantes occurrerent, juniorum nemo obviam processit, quòd Filium adolescentem fortissimè adversus imperium suum præliatum securi per-*

ausisset; miseri sunt aequalis nimis aspere puniti: nec factum eorum defendo,
sed ira vim indico, quæ unius civitatis & ætates & affectus dividere valuit.

§. 9. Quin imò videbatur acerbum, quod & ipsi Licitori tradere-
tur. Nam, in oratione sua ad Filium, ita Manlius Torqvatus Pater man-
dabat: *I licitor deliga ad Palum.* Liv. l. 8. c. 7. Gell. l. 9. 13. Valer. M. L. 2.
c. 7. Licitorum enim hoc erat officium; hinc Valgius Rufus licitorem à
ligando appellatum esse dicit, quòd, cum Magistratus publicus Romanus
qvempiam punire voluisset, crura ejus & manus ligari vinciriqve ab eo es-
sent solita, atqve sic antiquitus carnificis Licitor fungeretur officio, Nonius,
Gell. lib. 12. c. 3. Apud Romanos Licitores unus Consul habebat duodecim,
qui in urbe Consuli fasces præferebant demptis securibus; foris verò, ut in
decreta sibi provincia, aut cum castris & legionibus præessent, fasces cum
securibus unaq; licitores apparitoresq; præcedebant; idqve ideò cautum,
ut provinciam perniciosis hominibus purgarent, illorumqve audaciæ & te-
meritati obviam irent, flagititiaq; & dedecora pœnis & damno mulctarent.
In urbe enim Consuli cum securibus non erat jus, quippe suprema pote-
stas & jus de nece civis Consuli intra pomoerium non datur. Alexand. ab A-
lexand. Tom. 1. L. 1. c. 27. Dionys. Halicarn. [L. 5. C. 10. antiqu.

§. 10. Et hoc ipsum Licitoris munus, in Manlii Torqvati Filio, tum cer-
nebatur, ita ut ad palum ab illo Manlius alligaretur atque securi trucidare-
tur. Liv. l. 8. c. 7. Valer. M. L. 6. c. 9. Virgis etiam cæsum fuisse, Vege-
tius L. 3. c. 10. memorat. Hujus pœnæ mentionem injicit idem livius l. 28.
c. 29. dicens: *Seditionis ad Sucronem autores deligati ad palum, virgis cæsi
& securi percussi sunt,* & l. 2. refert Appium consulem centuriones du-
plicariosqve, qui reliquerant ordines, virgis cæsis securi percussisse. Fuere
apud Romanos nonnullæ aliæ pœnæ, non minus ignominiosæ, quàm ca-
pitales, uti ex Polybii l. 1. & 6. & Lipsii L. 5. de milit. Rom. Dial. 14. patet.
Habebant Fustuarium, fustem scilicet capiens Tribunus, condemna-
tum leviter tangit & delibat; quò factò, omnes, qui in castris, sunt ferientes,
aliq; fustib. aliq; lapidib9, plerique in ipsis Castris occiduntur, sine tamen Car-
nificis opera. Deinde pœna capitalis erat, gladiis objici, stabant enim
Legiones pro concione districtis gladiis, reus in suggestu per Tribunum
ostendebatur; Si nocentem acclamaverant, præceptus datus trucidabatur,
vid. prætereà Tac. L. 1. Annal. Tandem Saxis occisi sunt, de qua pœ-
na vid. Arrianus l. 4.

§. 11. Erat autem hic ipse fatalis dies, cum bellum contra Latinos, or-
tum

cum inde, quòd latinorum, alterum scilicet ex ipsis creare Consulem, petiti à Romana recusaretur Republica. Vid. Liv. l. 8. c. 1. seqq. gererent Romani atque in expeditione adversus latinos jam essent. Liv. l. 8. c. 6. & 7. Valer. M. l. 2. c. 7. l. 6. c. 9. l. 9. c. 3. Gell. l. 9. c. 13. Oros. l. 4. Cic. de Off. l. 3. Zonaras T. 2. *Annal.* Quare non est, cur cum Sallustio in *Catil.* & Dionys. *Antiqv. l. 8. factum id, bellò Gallicò Annò U. C. CCCLXV.* confectò, contigisse dicamus, comprimis, cum hi ipsi autores ex professo hoc factum non describant, sed tanquam exemplum adducant; ideòque fidem habemus potius iis, qui secum de hac re ex professo agere constituere. Similem in modum contra Historiæ fidem, quòd, hòc ipso Annò contra Samnites à torquato esse pugnatum, Plutarchus referat, cum Samniticum bellum Annò U. C. CCCCXIV. Consulibus M. Valerio Corvo III. A. Cornelio Cossò; latinum verò Annò U. C. CCCCXVII. Consulibus M. Torquato & Decio Mure fuerit gestum, notante Annà ranaqvelli Fabri *Filià in Flori l. 1. c. 14.*

§. 13. Tandemq; causam, cur M. torqvatus hoc fecerit, Florus l. c. affert hanc, quia plus in imperio esset, quàm in victorià; eam enim Casus, qui dat, eripere potuisset & nocere, plus clade, notante Jacob. Zevcotiò in *Flor. l. c.* Ipse Pater Manlii nonnullas in oratione sua, Liv. l. 8. c. 7. ad Filium adducit rationes quibus de tam rigidè atque severè cum Filio egisset. Una erat, imperii consularis & patriæ majestatis contemptus: Consules enim in ipsa expeditione, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret, edicunt. Illorum autem imperium, quod summum, transgredi, omninò apud Romanos erat capitale, uti hoc *Cap. 11. §. 10.* probatur ulterius.

§. 14. Altera, disciplinæ militaris solutio; nam illa hòc ipso bellò ex totius Concilii decreto, teste Liv. l. 8. c. 6. ad priscos redigenda erat mores: at verò, jamjam Manlii delictò eò magis soluta, debitâ poenâ ipsi inflictâ fuit restituenda; atque satius hinc esse judicavit Pater, ipsum forti Filio quàm Patriam militari carere disciplinâ. Valer. M. l. 2. c. 7. Rationem Pater & addit hanc, quòd aut Reipubl., aut sui suorumque esset obliviscendum. Sicuti verò Imperatoris illud est officium, ut bonum attendat publicum, & quicquid illi prodesse illudque augere possit, promoveat: ita Consular, officii sui memor, in hac verba in sua oratione erumpit: nos potius nostrò plectemur delictò, quàm Respubl. tantò suo damnò, nostra peccata luat; triste exemplum, sed imposterum salubre erimus juventuti, quod & causa quarta est, alii imposterum ut cautius mereari discant.

CAP.

CAP. II.

An justum hoc ipsum factum fuerit,
tradens.

§. I.

PErpensis igitur facti hujus Circumstantiis, reliquum est, ut pro institu-
to, *an hoc ipso justè egerit Manlius Torquatus*, nostram subjiciamus
sententiam. Sicuti verò affirmativa Sententia nobis est eligenda;
ita, ut quædam de Consulari Romana tum temporis potestate prius delibe-
mus, postulat necessitas.

§. 2. Namque hæc alia fuit sub introducti Consulatus initio; alia
sequentibus temporibus, & hæc iterum alia intra pomerium; alia extra il-
lud. Quoad Consulatus initium, ille erat regia potestas, uti testatur Li-
vius *l. 2.* Florus *l. 1. c. 9.* Cic. *l. 3. de leg.* Polyb. *l. 6.* Boxhorn. *in Dissert. 8. de*
Imp. Rom. §. 3. Loco Regum creati, & quidem cum pleno eorum jure, atque
jus vitæ & necis in cives habuere. Cic. *l. c.* Etenim hoc de primis est in-
telligendum, nam sequentium autoritas, creatis novis Magistratibus, *v. gr.*
Dictatoribus, Tribunis, itemque sancitis novis Legibus, decrevit. Boxhorn.
l. c. Et quidem duplici viâ, provocationis & intercessionis. Provocatio ad
populum post Reges statim nata ex lege Valeria. Liv. *l. 2. c. 8.* Boxhorn. *Diss.*
8. de Imp. Rom. §. 7. Duplex autem erat lex Valeria: una, ne quis Romæ Ma-
gistratum gereret injussu populi; altera, de provocatione in civium delictis
ad populum. Dion. Halicarn. *l. 5.* Cum verò Dictatura introducta, anti-
qvata est hæc lex posterior. Idem *l. 6.* Intercessio nata cum Tribunis, circa
Annûm U. C. CCLX. quæ arbitrium pacis, belli & graviorum rerum Con-
sulibus eripuit; nam intercedere atque impedire omnes Consulares actio-
nes Tribuni poterant, veluti populi voce. Lips. *de Mag. Vet. Rom.* c. 7.

§. 3. Soluta igitur, uti Lipsius loquitur *l. c.* Consulatus potestas, non ta-
men fracta, quamdiu Respublica stetit. Nam adhuc munia habebant
non contemnenda; (a) Caput Reipublicæ erant, (b) militiæ summum ha-
bebant jus, inque ea civibus imperabant atque sociis. Cic. *lib. 3. de leg.* &
Polyb. *lib. 6.* Quid? quod regiam atque pristinam interdum exercere po-
tuerint ac debuerint potestatem, in Ipsorum Consulatus creatione hæc Sena-
tus Consultus cavebat formulâ: Videte consules ne quid Respubl.
detrimenti capiat. Vis enim verborum hæc erat, ut imperium sum-
mum

num merumque Consulibus esset; atque sic iis restituebatur jus regium
vetus per provocationem aliasque Leges ademptum. Lips. l. c. 9. Equi-
dem hoc decretum non solebat interponi, nisi in domestico plerumque; mo-
tu, in Tribunitiis seditionibus, perniciosis Legibus, Conjuratiōe occultā,
aut etiam in externo discrimine, sed summō, de qua re vid. Liv. 1. *Decad. l.*
3. & l. 6. Veget. lib. 3. c. 1. Dio Cas. l. 37. Alexand. ab Alexand. Tom. 1. l.
3. c. 3.

§. 4. Sed quid dicam de isto tempore Manlii Torquati statu, cū
bellum contra Latinos esset gerendum? Cum Campanis Latini à Roma-
nis defecerant. Epitom. *Liv. l. 8.* Exoriebatur deinde illorum contra Roma-
nos conjuratio, atque secum firmiter constituebant Latini, quō suum
ipsā vi obtinerent petitum. Liv. *l. 8. c. 3.* Maxima belli moles, adeoque sum-
mum instabat periculum; nam agebatur de Reipublicæ libertate, quā diu
hactenus erant usi Romani, siquidem Consulū unum ex Latinis eligen-
dum ipsi poscebant; quā re concessā omninō de Reipublicæ Romanæ li-
bertate fuisset actum. Ex quibus satis abundeque patet nihil esse iniqui,
quod dicamus & tum temporis verborum istorum vini aliqua in parte ha-
buisse locum.

§. 5. Restat, de potestate Consulari intra urbem & extra eam, pau-
ca quædam ut afferamus. Illō modō, jus vitæ & necis absolutè non ha-
buere in cives; obstabant enim intercessio & potestas Tribunitia, uti su-
prà *hujus cap. §. 2.* dictum; vide præterea Alexand. *ab Alexand. Tom. 1. l.*
3. c. 3. Adeoque Consulū potestas intra pomerium admodum fuit
restricta, nihilominus illi excipiebantur Casus, de quibus §. *l. 3. hujus Ca-*
pitis memoratum, ita ut, si eorum quis acciderit, regium ac pristinum
Consulibus competeret imperium.

§. 6. In bello verò imperatoria atque summa illis erat potestas,
quā bellum ipsis, tanquam supremis ducibus, ex propriis consiliis geren-
dum demandabatur, quod confirmat Fabius Pictor *l. 1. de Sacerd. publ.*
ap. Gell. *l. 10. c. 15.* vid. *Polyb. l. 6. & Förstn. Not. Polit. ad l. 1. Ann. Tac.* Er-
rant Imperatores summi, quibus jus in omnes. Lipsius *de Mil. Rom. l. 3.*
Dial. XII. Legesque potestatem Consularem aliàs restringentes in militia non
habuisse locum ex Polybii *l. c.* & Lips. *de Mil. Rom. l. 5. Dial. 18.* constat.
Vid. Jo. Schmidel. *ad Diff. VIII. Bæl. de Imp. Rom.* omniaque in manu im-
perantis in bello fuisse apud Romanos Lipsius testatur *l. c.* & Cic. *l. 3. de*
leg. Ad hanc potestatem innuendam apud illos hic erat mos, ut in bello

B

Lictores

Lictores Consulibus secures præferrent, uti ex Alexandr. ab Alexand. deduximus supra *Cap. 1. §. 9.* Atque in hoc contra Latinos bello Consulibus summum vel maxime commissum erat imperium, siquidem in totius senatus Concilio decretum, ut, si unquam severò bellum esset administratum imperio, tunc id fieri deberet. *Liv. lib. 8. c. 6. & 7.* quod ipsum etiam ex hujus *Cap. §. 4.* elucescit. Aliàs hæc ventilari solet quæstio: *an summus Dux belli absolute debeat esse potestatis?* quam plerique gravissimis de causis affirmare non dubitant, quia id ex Reipublicæ esset usu, cum non rarò tempus & occasionis momenta sint ejusmodi, ut princeps adiri super belli negotiis nequaquam possit; *deinde* res ex distantibus locis serò nimis afferuntur, *tandemque* ansa hæc ratione datur, ut Dux vincatur; at, ut hostem vincat ac superet, omninò tollitur. Id enim observavit Cæsar *l. 5. de bello Gallico*; imò hoc ipsum Turcam imitari videmus.

§. 7. Constat igitur de potestate Consulari, quæ in urbe & tum temporis restricta; in bello verò erat summa. Quapropter tandem ad argumenta, quibus affirmativa est adstruenda sententia, nobis deveniendum, quorum afferemus potissimum duo. Primum est: *Quodcunque Summi Imperatoris bellici factum* (a) *Juri Naturæ non repugnat, consentientia habet* (b) *Jus Divinum* (c) *Civile* (d) *aliorumque, Dominorum potentiorum Jura militaria, illud omninò est justum.* Atque factum illud, quò Manlius Torquatus Filium contra imperium & sine imperio pugnantem, quamvis victorem, securi percussit, est tale. E.

§. 8. Major hujus argumenti cum sit firma, minor quoad singula erit probanda. Præceptum Juris Naturæ est: *Imperanti tantum, quatenus est Superior, à subditis est parendum.* Vid. Magnif. Dn. D. Alberti *Part. Spec. J. N. C. 14. §. 10.* Quod præceptum è statu integro in corruptum translatum est, & uti affirmativum, ita obligat semper & pro semper, i. e. sine exceptione loci & temporis, sub quibuscunque tandem circumstantiis, quamvis interdum ipsius suspendatur obligatio, cum obstet Lex superior, quæ est: *Deo est parendum.* Vid. modò laudatum, Magnif. Dn. D. Alberti, *part. 2. Prolegom. §. 19.* Hinc vi hujus præcepti imperium superioris transgrediens multatâ debet affligi; *pœna enim post malum ob bonum est infligenda,* vid. *ibid. part. 2. c. 16. §. 2.* Sicuti verò nulla pœna à Jure Naturæ est determinata hæc in causa, ita nobis sufficit, ex illo demonstrasse, quòd superioris imperio non obsequens mereatur pœnam, quæ postmodum jure positivò, quod vel divinum, vel humanum, est constituta.

§. 9.

§. 9. Illi hoc factum omninò est consentaneum. Nam in bellis jussu Dei gerendis ab Imperatoribus tempore V. T. vel maximè fuit observatum, imperiù Imperatoris bellici quadam de re singulariter latum transgredientes, eandem ut subirent pœnam. Sic Achan imperio Josuæ, quod dederat militibus *Jos. VI. v. 18.* inobediens, morte fuit punitus *Jos. VII. & Joseph. in hist. Jud. l. 5. c. 1.* Ex Jonathanis delicto, *1. Sam. 14.* cum mel contra Saulis imperium comedisset, fatis abunde que perspicimus, imperio non morem gerentem mortis fuisse reum. Hinc, postquam Josua summus esset constitutus Imperator, in primo Ipsius Libri capite hæc habentur verba: *qui ori tuo est inobediens, mortem subeat.*

§. 10. Jure Civili expressè hæc habetur lex, *L. desertorem §. in bello ff. de re militari: In bello, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res benè gesserit.* Venit ergò, quod Cato monebat, ex disciplina militari Romana, cujus ea lex erat, *Modestinò notante*, ut, qui mandata non servaret, capite puniretur, etsi res benè cessisset; mandata autem non servasse intelligebatur, etiam qui extra ordinem sine Ducis imperio in hostem pugnasset. *Grot. de J. B. & P. l. 3. c. 18. §. 1. n. 2.* Jo. à Chokier *in Onosand. strateg. c. 33.* quin imò Jure Romano Lex dedit Ducibus facultatem interficiendi eos, qui non obedivère, idèz indictâ causâ. *Dionys. Halicarn. L. XI. vide omninò Petr. Gregor. Tholozan. de Republ. L. XI. c. 10. §. 12.*

§. 11. Neque minus consentientia hoc factum habet aliorum potentiorum Principum Jura militaria. *Articulus XLVII. militaris Belgii Fœderati juris ita sese habet: Ein Soldat/der sich weigert / dem befehl seines Hauptmanns/oder anderer/die ihm/denen General Staaten zu Dienste/zu commandiren haben/nachzukommen / soll am Leben gestrafft werden: Ebenermassen sollen gestrafft werden/die das Gebot/welches der General durch Trommelschlag oder Trompetenklang verkündigen lassen/übertreten.* Idem habetur Jure militari Sacri Romano-German. Imperii quoad Equites *Art. 23. & 56.* Danicò *Art. VII. & CXXX.* Polonicò, *Art. XIV.* Brandenburgicò *Art. IX. & XVII.* Zurch. *Art. XX. & XXVII. Tit. 4.* Lüneburg. Brunswic & Hanov. *Art. XII.* Würtemberg. *Art. I.*

§. 12. Sequitur nunc alterum pro probanda nostra sententia argumentum: *Quodcumq; factum (a) secundum Legem militarem justam jamjam in bello ad eundo de novo repetitam, (hanc enim jam ante à fuisse latam, patet ex Liv. l. 2, vid, §. 10. Cap. 1.) quod, ut perquam severè administraretur, totò erat*

fancitum collegiō, fuit alteri tribuit, (b) à summo Imperatore, qui in expeditione
jamjam erat, ex Lege ad imperium in militia summum stabilien dum, (quod sta-
bilimentum tum officii sibi commissi ratio, tum juramentum legitime à se presti-
tum exigebat) susceptum, (c) fecit, ut militaris hactenus sopita disciplina,
quæq; hoc ipso bello ad priscos erat redigenda mores, per delicti tamen patra-
tionem, quod mortem merebatur, jamjam erat collapsa, nihilominus Reipublicæ
Romane stabilimentum, per quam hactenus steterat Respublica, restitueretur,
(d) prætere à illo ipso factō, ceu mediō legitimō, à summo Imperatore maxi-
mum à toto Exercitu & Republica declinatur periculum, aliàs utrisq; propter
transgressoris delictum, nisi illud puniretur, imminens, (e) adeoq; bonum pu-
blicum præfertur privato, illud est justum. Atqui Manlii Torquati factum
tale est. E.

§. 13. Singula hæc ut deducamus fusiùs, nobis imperat necessitas;
& quidem quoad primum, major omninò videtur certa; nam omnis actio
justa valorem atque justitiam suam fortitur ex Lege justa. Minorem au-
tem probamus ex Liv. lib. 8. c. 6. & 7. postquam enim in Collegio erat de-
cretum, hoc bellum severò admodum ut susciperetur imperiò, ideò justò
omnia constituebantur ordine, & per hæc, ne quo errore milites caperen-
tur, edicunt Consules: *ne quis extra ordinem in hostem pugnaret*; edicti id-
circo hujus immemori Filio Convocatà à Patre concione, ne odii suspicio in
ipsum cadere possit, sententiam coram illa secundum legem dixit suamque
ipsi tribuit. Liv. l. c.

§. 14. Erat autem hujus legis transgressoribus pœna apud Roma-
nos statuta capitalis; nam præfidiò decedere capitale apud illos, καὶ φεύ-
γει τὸ παράπαν ἐξ ἐφεδρείας. Polyb. l. 3. Dionys. Halic. l. 9. & l. 4. Lipsius
de milit. Rom. l. 4. Dial. 4. οἱ νόμοι δὲ αἰνεῖταις βραχὺ πρὸς τὰ ἔξω παρε-
πινῆσαντ' & θα αὐτῶ πολλαῖςσι, i. e. Leges Romanæ semper eum, qui vel le-
viter ordine excefferit, morte puniunt. Joseph. l. 5. Excid. quod ipsum & Li-
psius l. c. ex Aristide deducit, quæ de pœna vid. Appianus l. de bello Partib.
Polyb. l. 6. Liv. 1. Decad. l. 5. 3. Dec. l. 5. Beatus Rhena l. 2. Rerum German.
Onofand. Strateg. c. 6. Jo. à Chokier in idem caput, Cinuzz. l. 1. c. 51. n. 47. de
re milit.

§. 15. Hanc ipsam Severitatem & apud alias Gentes locum in-
venisse, ex Carthaginensibus videmus, qui Duces, pravò Confiliò bel-
lum gerentes, cruci affigebant. Valer. Max. l. 2. c. 7. l. 5. c. ult. Sveton. Tran-
quill. in vita Augusti c. 24. Dio Cassius l. 48. de Casare Octav. Neq; apud nos
Chri-

Christianos ordinem deserentes, vel extra ordinem pugnantes, vel stationem relinquentes, aliò puniuntur modò. Vid. *Art. 12. Juris milit. Imperii Rom German. Hollandici Art. L. LII. LIII Danici Art. 92. Zurich. Art. 39. 40. 41.*

§. 16. Et quamvis dura hæc videatur lex illique statuta pœna, nihilominus justa est, à legitima potestate humana sancita, justaque de causa, præsertim tum temporis, cum jam cum hoste esset congregiendum; validissimus enim Latinorum erat Exercitus. *Liv. l. 8. c. 8.* cujus subitanæ excursionis atque irruptionis tum sustinendæ, tum quotidie reprimendæ: ad hos autem repellendas, omninò erat necesse, quò lex, de servando ordine, promulgaretur, pœnaque constitueretur ob transgressionem, quippe quæ omnium afferre exitium poterat, severissima. Ordinis enim habere rationem, id ipsum est, quod viros, quod milites peperit gentium hominumque victores. *Lipsius de Romanis l. c.* Hinc *Macrinus Imperator* dicebat: *Vester Ordo, sicuti vobis salutem, ita hostibus perniciem affert.* *Pacii Polit. Liv. part. 2. art. 3.* Contra ordinem egredi & confusè incedere, omninò facit, quò facilimè ab hoste struantur insidiæ. Vid. *Amm. Marcell. l. 16.* deinde optata offertur occasio, ut ad hostem dilabantur milites; & quod maximum est, confuso Exercitui totalis imminet ruina, quandoquidem copiæ, quamvis hostem multò superent robore, negotiò deleri atque fugari possunt facilimo. Sic victores *Lacedæmonii*, dum neglecto ordine fugientibus *Atheniensibus* instant, à jam victis fuere superati, apud *Thucyd. l. 2.* Hinc *Turcis* opprobrat. *Jo à Chokier in Onosand. strateg. c. 6.* quem locum, in *quærens*, *Cæsar*, (de servando ordine) si *Turcæ* animadverterent, non tantæ strages, etsi justissimas, plerumque à nostris esse passuros, nullò enim ferè ordine incedunt; id quod & nuperrimà *Turcarum* clade fuit observatū.

§. 17. Succedit alterum membrum; quod est, quia hoc factum ex lege ad imperium in militia summum stabiliendum susceptum fuit à *Manlio Torqvato*. Hoc ipse in *Oratione* sua ad *Filiam* expressè indicat: *aut morte tuâ sancienda sunt Consulum imperia; aut in perpetuum impunitate tuâ abroganda.* *Liv. l. 8. c. 7.* Quantum enim situm sit in summo *Duce* bellico ejusque autoritate, ut rata ipsius milites habeant mandata atque exequantur, nemini existimo esse ignotum. *Spiritus Sanctus* ipse corruere populū, ubi nullum sit imperium, pronunciat. *Proverb. XI. 14.* quin imò, si populo eripiatur *Dux*, pœna est gravissima. In *Jure militari sacri Romano German. Imperii quoad Equites §. 3.* sequentia habentur verba: *Die weil Gehorsam und gut Regiment ein Werck wäre / das Gott gefiele / darauß alles Glück und Wolfehrt folget.* *Firmissimum enim illud imperium est, quò gaudent obedientes*

entes. Livius l. 8. c. 13. & lib. 2. C. 59. Obsequium est anima Exercitus, quæ omnem ipsi vim atque efficaciam tribuit. Veget. l. 3. c. 1. Front. l. 4. c. 1. Unde ab Imperatoribus Cordatisimis id fuit factum, ut modò caput, si fieri potuerit, occuparetur. Gruter. in Tac. 8. §. 2. 3. Pulcrè Archelaus apud Procopium lib. 1. de bello Vandalico: Sic est rerum humanarum natura, ut, capite sublatò, cetera brevitate tempore corruant, quod multis exemplis illustrat Gruterus l. c. cap. 10. & 11. Ita ut in Duce posita quasi sit victoria, & cæsò illò, patria ipsa periclitetur. Alexander. l. 5. Curtii, Cicero pro Muræna, Onofand. strateg. c. 33. Cùm itaque tantum sit in Imperatore positum atque in ipsius auctoritate, certè ex juramento legitimè præstito atque officii sibi commissi ratione adigitur, ut imperium atque auctoritatem suam tueatur ac stabiliat. Et hæc ratione arguo: ad quodcunq; Imperatorem juramentum legitimè præstitum & officii ipsius ratio adigit, illud omninò justè agit, at qui ad stabilendum imperium & c. E. Id quod à Manlio Torquato in hoc facto ex lege, de qua §. 13. hujus cap. fuit observatum, ut suum stabiliret imperium atque auctoritatem, quæ militarem magna ex parte conservat disciplinam.

§. 18. Qua ratione ad tertium nobis est progrediendum membrum. Fecit enim hoc Manlii Torquati factum omninò obedientiorem Duci militem, & præterquam quòd custodiæ, vigiliæque & ordo stationum intentioris ubiq; curæ erant, in ultimo etiam certamine, cùm descensum in aciem est, severitas profuit. Liv. l. 8. c. 8. Jo. à Chokier in not. ad Onof. Strateg. c. 2. Etenim, postquam labefactata hæctenus disciplina in hoc bello redintegrandam erat, de quo Liv. l. 8. c. 6. & nihilominus per Manlii Filii delictum solvebatur ibid: c. 7. 1. hæc disciplinæ militaris restitutio erat necessaria, præprimis, quia illa ipsa stabilimentum Romani imperii, in cujus sinu ac tutela serenus tranquillisque beatæ pacis status acquiescebat; quæ largita est regimen multarum regionum & gentium validissimarum, præter Polyb. l. 1. vid. Valer. Max. l. 2. c. 7. Est mater unica & alumna tot triumphorum populi Romani, cujus præcipuæ partes, ordo militiæ, jurisdictio, rigidissimæ Leges & severiores pœnæ, ita, ut ob quædam, quæ in pagano non puniantur, militi gravissima imponatur poena. Boec. Dissert. 3. de Imp. Rom. §. 3. & Dissert. 16. §. 7. Alexander Severus de Romana disciplina militari sic judicat: disciplina Majorum Republicanæ tenet, quæ si dilabatur & nomen Romanorum & imperium amittimus. Pendet enim ab illa Legum conservatio, quod deducit Don Sancho de Londonno en la discipl. milit. p. 8. Hinc omnia ferè delicta sunt capitalia, ut, sicuti crescentibus semper militum delictis, poena exasperentur, & acerbitas ulciscendi malefici

cii

cii benè atqve cautè vivendi disciplina fiat. Pacii *Polit. Liv. part 3. Err. 9.*
Adeòqve rigidum hoc erat jus, ut provocatio esset nulla. Cic. *L. 3. de leg.*
Causam & tanta rigiditas habet gravissimam, si spectes tùm commodum,
de quo jam diximus, tùm incommodum; Cùm in bello, exiguam ob ne-
gligentiam, sæpè de summa rerum sit actum. Pufend. *Jure N. & G. l. 8. c. 2.*
§. 1. Nam aliis in rebus errata postmodum corrigi possunt, in bello autem
delicta non accipiunt emendationem, & levissimi errores exitii omnium
sunt aut esse possunt causa, uti loquitur *M. Cato in Fragmentis Librorum*
de re Militi: accedit, quod seditio caveatur, si ad omnem disciplinam ar-
ctissimâ severitate teneantur milites. *Veget. de remil. l. 3. c. 4.* Atqve ex
jam dictis pro nostra sententia corroboranda hunc in modum arguo:
Quicumque gravissimè peccavit, ille omnino gravissimò jure affligitur suppli-
ciò, atqvi Manlii Torquati Filius gravissimè peccavit, dum contra id, quod
stabilimentum erat Reipublicæ illamque tenebat, deliquerat E.

§. 19. Quartum allati generalis argumenti membrum hoc est:
Quòcumque factò, ceu mediò legitimò, à summo Imperatore, maximum tùm
à toto Exercitu, tùm à Republica, declinatur periculum, scilicet utriusq; ru-
ina aliàs futura propter ipsius transgressoris delictum, nisi illud puniretur, il-
lud est justum: atqvi Manlii Torquati factò, ceu mediò legitimò, quia secun-
dùm Legem, de qua §. 13. hujus cap. fuit susceptum, & c. E. Majoris Connexio
probatum inde, quia justitiæ effectus est illa actio, quæ toti prodest commu-
nitati. Minor patet; instabat enim illud periculum ex confusione, quæ
omninò erat futura, nisi ordinis transgressor tam severè fuisset mulctatus,
cùm aliàs nimis sit liberior miles, & ad delinquendum facilis; ad obse-
quendum verò difficilis; Sanè id accidere potuisset facilimè, ut & alii, si
factum Filii Manlii Torquati esset probatum, per illam extra ordinem in ho-
stem pugnandi licentiam, nimiâ gloriæ cupiditate ad illam sibi acqviren-
dam accenderentur, atqve extra ordinem cum hoste congredierentur, quod
summè erat periculosum, siquidem validissimus Latinorum Exercitus, cujus
irruptio quòvis imminebat momentò, & consequenter ex confusione futu-
ra erat Romanorum clades; (qua de re dictum jam §. 16. hujus cap:) ad ca-
puam enim, quò jam Latini sociiqve convenerant, castra locabant Ro-
mani, atqve prælium jam erat ineundum. *Liv. l. 8. c. 6. & 7.* Casò verò illo-
rum Exercitu, de Republica etiam fuisset actum, ipsiusque libertate. Hæc
autem Manlii Torquati factò declinabantur, siquidem ordinis stationum
maximè habebatur ratio, & victoria seqvebatur amplissima qua de re §.
præced,

399
§. 20. Reliquum est, ut, hęc factō Manium Torqvatum bonum pu-
blicum anteposuisse privato, probemus: *quicumq; enim illius habet rationem,*
quò stabilitur Respublica atq; tenetur, ille omninò bonum pręfert publicum;
atq; Manlius Torqvatus hoc fecit, uti §. 18. hujus Cap. videre licet ē. Equidē
cū ille optimē haberet cognitū, quòd illa demum Respublica esset recta, u-
bi ab Imperante publicum attenderetur commodū: ita, justitiā quasi admo-
nitus, unius Filii scilicet posthabere vitā maluit, quā totius Reipubl. salutē.

§. 21. Hisce hæctenus allatis, ipse Pater Manlius Torqvatus jam ob-
jicit duo, quæ ipsum ab hoc abstrahere factō potuissent: *unum* est ingenta
liberorum charitas; *alterum* Specimen virtutis jamjam editum. Liv. l. 8. c. 7.
Quoad primum, præceptum Juris naturalis est affirmativum: *amor ami-*
citie à Parentibus in liberos est adhibendus Ad hoc respondet (a) ipse
Pater: *aut morte sancienda sunt Consulium imperia, à quibus maxima ex*
parte militaris dependet disciplina, aut impunitate suā in perpetuum abro-
ganda; Quemadmodum verò per hoc ipsum summum Reipubl. attrahere-
tur exitium: ita prius omninò sibi esset eligendum. Amorem enim Man-
lius Torqvatus non liberis tantū, sed & vel maximē Reipublicæ debebat;
Filius igitur, delinquens in Rempublicam & amborum Consulium non Pa-
tris solum ut Patris, potestatem, jure meritoq; posthabitus & amor Reipu-
blicæ, ut huic satisfaceret, pluris fuit æstimatus. Nam in ejusmodi casu sal-
vā justitiā Parentes propter amorem illum pœnas liberorum promeritas mi-
tigare nequeunt, atque lenes ipsis sese præbere. (b) Respond. amor ille est
reciprocus, ita, ut Pârentes liberi redament atq; illis obediant; posthabitā
autem ac spretā à liberis tum obedientiā, tum debitō ergā Parentes amore,
utiq; & horum ergā illos amor quasi expirat, ac tanquā immorigeri debitā
afficiendi sunt pœnâ. Poterant autem tum temporis ex Romuli lege Paren-
tes liberos privare vitâ. Dionys. Hal. l. 2. & 8.

§. 22. Ad alterum, quod erat Specimen virtutis jamjam editum, respondet Pater
similem in modum, quòd scil. Consularis sit stabienda potestas, quippe quæ toti prodes-
set Reipubl. Hinc quod sese fortiter gesserat Filius, Pater ipsi, tanquā victori, quamvis
victoria hæc esset (a) exigua, (b) Reipublicæ potuisset esse summè perniciofa, coronam
imposuit. Zonaras & Alian. l. c. Enimvero, ut Reipubl. ob delictum satisfaceret, securi ipsū
percuti jus sit. Deinde generale juris Naturæ præceptū est: nō sunt facienda mala, ut eve-
niat bonum; ideoq; fortitudinis illud signum potius erat vituperabile, quia id susceperat
contra imperium summi Imperatoris, adeoq; adversus rectæ rationis Dictamen,
quocum vera minimē potest consistere fortitudo bellica.

§. 23. Obstare & illud videtur, Imperatorem scilicet decere clementiam atq; hu-
manitatem. Sed resp. cum Vegetio l. 2. c. 10. & Jo à Chokier in Onofand. Strateg. c. 33. ita
clementiam esse adhibendam, ut adhibeatur Reipubl. causā severitas, sine qua admini-
strari civitas nequit,

F I N I S.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



BIBLIOTHECA
CAVIANA

